




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-603284-p0003-9

DFG



1601.

Pinggierius, Virgilis : De consuetudine.

1603.

1. Hammadus, Dominicus : De matus, deposito et signis.
ratione

2. Pingiher, Virgilis : De jure accessendi.

3. Pingiher, Virgilis : Therium : De jure accidit
in genere, et de promissorio in specie, ex cunctis
et causis jure, conceptarum Caturia ..

1604.

Hammadus, Dominicus : Commentatio et l. 2. Col.

Si rescind. Vend., de qua responderunt : Thomas
Sibell, Christian Schwartz, Johannes Ledermaier,
Christopherus Weyse.

1606.

1. Hortlederus, Riederus : De vero sensu l. non
omnium ut l. de ll. ejusq. genuinis exemplis.

1606.

2. Pizitzius, Vigilius : De appellacionibus
3. Schraben, James : In controverso jure civili,
Tunisico, fundati, Iuris et provinciali, miscell-
lanciarum questionum decades III.

1607.

- Sacrius, Johannes : De jurisdictione.

1608.

- Theodoricus, Petrus : De pactis successoriis.

1609.

1. Knipperdorp, Wernherus Wolfgangus : De origine, aucto-
ritate, compilatoribus et definitione fundorum-

2. Sacrius, James : De fundi emissione.

1610

1. Truncaeus, Dominicus : De verborum obligacionibus
2. Sacrius, Johannes : De substitutivis.

1611.

1. Trunacus, Dominicus: De jure dotium.
2. Trunacus, Dominicus: Quæstionum controversiarum
cum ex jure civili, canonico, et feudalib[us] de propria-
tate III.
3. Trunacus, Dominicus: De feudal[is] successione . . .
4. Trunacus, Gottolphus: Recas miscellaneorum in
jure controversiarum quæstionum .
5. Gerhardus, Andreas: De substitutionibus .
6. Milpfort, Wolfgangus Worthenus: De solutionibus .
7. Milpfort, Wolfgangus Worthenus: De ammissione
fendi:

ibidem



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-603284-p0008-7

DFG

Auspice Deo ter maximo.

Præside Clarissimo Excellentissimoq; Viro

DNO. DOMINICO ARV.
MÆO FRISIO I. V. DOCT.

Auctoritate ac permisso nobilissimæ Juridicæ Facultatis
JENENSIS

Conclusiones has Iuridicas

^{D E}

^M

MUTUO, DE- POSITO ET SE- questratione,

Publicè

In Auditorio JURE CONSULTORUM defen-
dendas exhibet

BERTHOLDVS HAGEN GEYSA-
nus Bucho.

Ad diem 30. Aprilis.

Loco & horis consuetis.

Juris eruditio omnis potissimum in disputando versatur.

Ienæ Tyrigetarum,

Ex Typographeo Christophori
Lippoldi, Anno M. D. C. III.

Clarissimo Consultissimoq; Viro
Dn. Friderico Hagen, Dioeceseos

Fuldensis Syndico dignissimo, atq; ordinario Advo-
cato ingeniosissimo, Agnato & Mæcenati
in perpetuum observando,

Consultissimo, præstantissimoq; Viro
Dn. VVernerio Crispino Comitum

VValdeccensium Advocato exercitatissimo, nobiliumq;
generosorum Riedeselianorum in Eysenbach
præfecto plusquām sagacissimo,
affini.

Prudentiss. integerrimoq; gravitate atq; authoritate
verè Viro

Dn. Martino Reubero Sequestri in
Buchenaw solertissimo, affini.

Doctissimo humanissimoq; Viro

Dn. Georgio Hectori à Ioss, Iuris

Pragmatico Fuldensi ordinario cognato.

Non minūs doctrinā quām humanitate affabré perpo-
lito Viro iuveni

Dn. Hieronymo Diedmers LL. stu-
dioso Vlzensi Luneburgensi, contubernali &
commensali, amico:

Patronis ac Fautoribus summē honorandis; jucundaq; be-

nevolentia prosequendo. Hanc disceptationem

In debitæ gratitudinis Symbolum & tesseram, inq; studiorum suorum
testimonium dedicat & offert.

BERTHOLDUS HAGEN Autor & Resp.

Cum M V T V V M inter

contractus in communi hominum societate sit
frequentissimus, subsequentes hasce positiones publicè
disputando excutiendas proponere visum fuit.

I.



T autem justâ progrediamur methodo, à definitione auspicandum erit; & dico, quod **Mutuum** propriè res ipsa sit, quæ mutuò datur; sed cum res illa pars sit contractus hujus, contractus verò sit totum, definendum erit mutuum, quatenus est contractus.

Mutuum (a) igitur est contractus seu *οὐνάλλαγμα* (b) jurisgentium (c) nominatus (d) stricti juris (e) in quo rem nostram (f) in quantitate (g) consistentem, ita alicui damus, ut eandem rem nobis reddat non in specie h. e. in individuo, sed ingenere ejusdem bonitatis ac valoris. (h)

a) Paulus IC. mutuum inde dictum putat, quod siat de meo tuum l. 2. §. 2. appellata ff. de reb. cred. Inst. in pr. quib. mod. re contr. oblig. Notatio est non grammatica, sed juridica; non nominis, sed rei, facta ad imitationem Stoicorum, quorum disciplina pleriq. nostri I. C. omnes imbuti fuere. Significatur n. illa notatione mutui effectus, in quo mutuo necesse est rem, quæ mutuò datur, ejus fieri, cui mutuò data est; atq; ita cum antea mea fuerit, per reciprocationem mutui data de mea fieri tuam. Quin. dat mutuò, is rei mutue dominium tranfert in eum, cui mutuò dat; adeoq; necesse est ut is, qui rem alicui dat mutuò, rei illius, quam dat fit dominus d. l. 2. §. 4. in mutus data l. 32. d. t. quoniam nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habeat l. 54. Nemo ff. de R. I. (b) & quidem verus ac prius arg. pr. Inst. de oblig. ex q. contr. ceteris hinc Interpp. mutui di-

visionibus rejectis, nos MVT VVM in proprium seu verum, & in im-
proprium seu q. dispescimus Vult i. I. R. c. 31. Boc. in l. 23. de R. I. c. 1.
n. 2. & 6. §. si. Inst. de oblig. l. 1. ff. de O. & A. DN. Gødd. ad l. 19. de
V. S. Dis. Cujac: in l. 7. pr. ff. de pact. Bart. & vulgo Dd. in d. l. 19.
de V. S. (c) §. 2. Inst. de Iure N. G. & C. Omnes n. contractus, iis dun-
taxat exceptis, qui specialiter jure civili introducti sunt juris gentium
l. 5. ex hoc jurig. ff. de just. & jur. quæ exceptio ad mutuum usq; nu-
spiam extenditur. (d) quia, quum ad parandam pecuniam sine qua
commercia consistere nequeunt l. 1. ff. de contrah. empt. contractus hic
apud omnes gentes frequenti esset in usu, facile nomen invenit propriū
VVes. in ὡ. ff. reb. cred. n. 9. Cujac. II. obs. 37. (e) quia non nu-
meratur inter contractus bonæ fidei arg. §. actionum 28. Inst. de action.
l. aut mutua 6. cum seq. ff. de eo, quod cert. loc. l. 2. §. 1. l. 3. ff. de
reb. cred. l. Titius 24. ff. de prescr. verb. l. 3. C. de usur. Et illud addo,
quia strictam habet ex sua natura regulam, qua omnia arithmeticā
proportionē ad equalitatem eorum, quæ data sunt, exiguntur. l. 3. ff.
de reb. cred. (f) quæ causa hujus contractus efficiens principalis ipsa
res est, ita ut, quā minus interveniente, mutui non nascatur obligatio
l. 2. §. 3. d. t. pr. Inst. quib. mod. re contr. ubi Schneid. n. 3. & 4.
Vnde si tibi dem decem, & paciscar, ut undecim mihi debeantur, non
nascitur obligatio ultra decem. II. §. 1. d. t. l. 17. ff. de pact. (g) quæ
causa materialis existit mutui, h. e. consistens in pondere numero &
mensura: Vide Dn. Gødd ad l. 4. num 25. de V. S. quia una earum
alterius vice ita fungitur, ut quæ jam dum mutuo data, sed per ab-
usum consumpta & equalis omnino ac propemodum eadem redditia in-
telligatur Dn. Vult. 1. discept. 10. & 14. idem in I. R. 21. n. 13. Quapro-
pter ceteris in reb. in creditum ire non possumus, cum aliud pro alio
invito creditori solvere nequeamus l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. 4. §. ait
Prætor ff. de re judic. Exinde efflorescit ὡς Κληματικ; An panes vel
pisces & carnes reb. fungilibus anumerari queant? In affir: ca-
stra nos recipimus; cum & numerari & ponderari soleant. Zaf. in c.
2. §. 1. n. 38. ff. de reb. credit. Borch. tract. de mutuo c. 4. n. 5. Cujac.
d. II. obs. 37. (h) pr. inst. quib. mod. re contr. oblig. d. l. 2. pr. & §. 1.
Cujac. in Parat: idem in d. II. obs. 37. arg. l. 55. ff. de solut. Idq; ideo
mutuum ne in alium degeneret contractum. Quandoquidem si res

eadem

eadem in specie redderetur vel commodatum esset, vel depositum, vel
precarium vel pignus; si alia, que non sit in eodem genere fungibilis,
sed alterius mutuo datæ vice fungatur, permutatio existeret. VVes.
in 2. ff. de reb. num. 2. An ergo sit Mutuum, si eosdem
nummos, quos tibi dedi mutuo, cum postea ijs non indigeres
mihi reddas? Affirm. l. 2. §. 1. d. t. Sneid. in pr. inst. quib. mod. re
contr. oblig. numero 10. Per accidens enim hæc est, quod eadem spe
cies redditur, non ex mente contrahentium, & quidem creditor etiam
invito, si nihil ejus intersit. Dd. in d. l. 2. Dis. Dec. ibidem. An ita
ab initio mutuum rite recteque contrahatur. Neg. per l. 2. in pr. d. t.
pr. inst. d. t. Moll. 3. semestr. Dis. Butigolla ad d. l. 2. n. 28. Eadem
ratione defenditur esse mutuum, etiamsi postea res alterius generis
reddatur arg. l. 9. C. de resc. vend. l. 16. l. 23. C. de usur. Sneid. d.
loc. n. 13. Si tamen estimationem rei credit debitor offerat, eamque
non repudiet creditor, & praeterea nulla debitoris sit captio, admitti
hæc solutio posse videtur per l. vinum 22. ff. O. de reb. cred. l. fin. ff. de
conduct. trit. l. quoties 59. ff. de V. O. VVes. in 2. num. 12. ff. de reb.
credit.

II.

Mutuum dare possunt domini rerum, qui consensum
præbere queunt, rerumque suarum habent administrationem
(a) impubes igitur (b) furiosus (c) prodigus (d) mutuum dare
nequeunt.

(a) l. 2. §. pen. l. nam et si fur 13. l. 16. ff. de reb. cred. l. in om
nibus 35. ff. de O. & A. l. 1. §. 3. vers. adeò ff. de pact. l. in re manda
ta 21. C. mandati (b) l. 9. in pr. ff. de autor. tut. l. 14. in fin. ff. de so
lut. §. 2. inst. quib. ali. licet. (c) l. 5. de R. I. l. 1. §. 12. ff. de O. & A.
l. si à furioso 12. ff. de reb. cred. (d) l. 6. ff. de V. O. quoniam potesta
tem rerum suarum non habent, licet domini sint, d. l. 9. §. 1. & 2. de
autor. tut. l. 1. ff. de curat. furios. Si tamen pecunia, quam q. mu
tuam dederint, bonâ fide consumpta sit, mutuum utilitatis causa con
valescit l. 11. §. 2. cum l. seq. l. 19. §. 1. ff. de reb. cred. d. §. 2. inst.
quib. ali. licet. l. 56. §. 2. ff. de fidejuss. l. 81. ff. de jur. doti. Cujac.
13. obs. c. 18. Nec solum domini ipsimet, sed & ipsorum jussu
& voluntate filij fam: & servi in potestate eorum constituti, tam res

suas peculiares, si liberam habent peculij administrationem, quam res eorum, quorum sunt in potestate, recte mutuò dant. l. si servus 32. l. 19. l. 35. ff. de solut. Item Syndici diοκησεων tam civitatum sive universatum & Procuratores l. Gajus 11. l. etiam 30. ff. de usur. quam privatorum, modò vel speciale mandatum l. procurator 63. ff. de procurat. vel universorum bonorum administrationem habeant. l. 9. §. 8. ff. de reb. cred. quibus in casibus ei, cuius nomine aliquid creditur, actionem ex mutuo nasci certi ac indubitate juris est l. 9. §. 8. ff. de reb. cred.

III.

Cæterum accipere possunt mutuum, qui neq; naturâ, neq; lege prohibentur: Naturâ prohibentur furiosi (a) pupilli (b) prodigi (c) Lege, ut & SCto Maced. filius fam. (d) receptum est.

(a) l. in negotijs 4. l. si furiosi 40. de R. I. §. furiosus 8. inst. de inutil. stipul. (b) citra tutoris videlicet authoritatem l. si quis 3. §. perinde 2. ff. ad SC. Maced. l. non omnis §. 1. ff. de reb. cred. An saltem naturaliter obligetur? Affirmamus cum Don. in l. pupillus 59. ff. de O. & A. (c) l. 6. ff. de V. O. l. Julianus 10. ff. de curator furios. dand. Hinc spinosa promanat quæstio: An prodigo jure ipso, sine magistratus decreto sit bonis interdictum? prius affirm. l. 18. ff. qui testam: fac. pos. Nec minorem injicit dubitationem: Nunquid naturaliter duntaxat obligetur prodigus, ita ut fidejussor pro eo cum effectu intervenire queat? quam opinionem negando discutimus edocti per d. l. 6. de V. O. tum quod ob ingenij imbecillitatem & consensus defectum prodigus furioso comparatur. l. 40. de R. I. tum quod per morum insaniam nesciens recte uti iudicio, nihil ab eo distet, qui plane non utitur. Pari siquidem passu ambulant, aliquid non fieri, vel non recte fieri l. quotiens 6. ff. qui satisd. cog. §. sciendum 2. inst. de satisd. tut. vel curator. (d) qui etiamsi ex omnibus propemodum contractibus efficaciter obligari potest, tamen ex SC. Maced. prohibitum est ijs dare pecuniam mutuò, qui sunt in potestate parentum, quod tam in odium fœneratorum introductum est. l. qui exceptionem 40. ff. de conduct. indeb. quam ne filij fam. are alieno

obruti

obruti votum affectandæ mortis paternæ conciperent l. i. & t. t. ff. ad SC. Maced. t. t. C. eod. l. filius fam. 14. ff. de reb. cred. Ergò perpetuum hoc SC. eis exceptionem suppeditat. l. sed et si 9. §. fin. cum ll. seqq. ff. ad SC. Maced. idq; seu gratis fœnorevè pecuniam acceperint l. 7. §. 7. d. t. Hoc SC. cum de solis loquatur nummis, eam prohibitionem ad alias res pertinere fungibles imus inficias, nisi forte quid in SC. fraudem attentetur per d. 7. §. mutui 3 l. 3. §. is autem 3. d. t. Quemadmodum nec ad ea, quæ studiorum causa Filius sumpserit. l. 5. C. ad SC. Maced. l. 20. si filia §. ibidem scribit 6. l. ex parte 39. §. filius 3. ff. fam. hercisc. l. 1. §. 16. ff. de coll. honor. aut in qua pater consenserit. l. 5. vers. fin. C. ad SC. Maced. De eo dubitari posset: An Filius huic SCto velexceptioni renunciare queat? Negativam communiori Dd. calculo approbatam sententiam sequimur. Quia SC. in odium pñnamq; introductum est creditorum l. 9. §. pen. ff. ad SC. Maced. Et publicæ utilitatis est, ne juventus mutuis pecunijs alijsvè nefandis ministerijs corrumpatur. l. 1. l. 11. ff. d. t. l. 40. ff. de condic. indeb. Quare privatorum pactis nil derogari potest. l. si unus 27. §. pact. l. juris gentium 7. §. si pacifcar ff. de pact. Borch. in tr. de mutuo c. 3. n. 53. & seq. & de V. S. c. 2. num. 28. Fachin. 2. controvers. 61. Dis. Zas. libr. 2. sing. respon. cap. 28.

Alt vero quid si renunciatio juramento sit confirmata? Non minus in validam arbitramur firmissimâ freti ratione per authenticata sacramenta puberum C. si advers. vend. arg. l. fin. C. de non num. pecun. Abbas in c. non est obligatorium de R. I. in 6. c. cum contingat. 28. de jurejur. Gail. 2. obs. pract. 42. n. 4. & obs. 147. n. 1. Treutl. p. 1. disp. 20. thes. 7. & p. 2. disp. 26. th. 5. Dis. Zas. 2. sing. respons. 6. 28. Fachin. 2. contr. c. 61. An in foro conscientiæ ad restituendam pecuniam tenetur? Quod itidem negamus: Namq; lex justa etiam in judicio animæ obtinet & servanda est gloss. in c. quæ Ecclesiam de const. Hec autem lex est justissima d. l. ff. ad SC. Maced. Et Magistratibus eorumq; legibus est omnino obtemperandum Rom. 13. vers. 1. fac. trad. per Goedd. de contr. stipul. c. 7. n. 290. & seqq. Dis. Fachin. in d. c. 61.

Syndicus



IV.

Syndicus seu civitatis administrator si mutuam accepit pecuniam, tum demum ipsa obligatur civitas, quando in ipsius utilitatem pecuniam illam conversam esse probatum fuerit (a) alioquin ipse Syndicus (b) qui contraxit, tenebitur.

(a) arg. l. 15. ff. ad SC. Maced. l. civitas 27. ff. de reb. cred. quo casu non est necesse, ut creditor pecuniam in civitatis commodum conversam esse probet. Fachin. 2. contr. c. 25. Treutl. p. 1. disp. 20. th. 5. l. 3. C. quando ex facto tut. vel curat. min. ag. vel conv. poss. l. cum qui s. §. 9. ff. de const. pecun. Novell. 120. c. 6. §. 3. Coler. de proces. execut. part. 1. c. 10. n. 22. (b) d. l. civitas 27. Et quidem condicione ob causam dati causa non sequuta, non ex mutuo, quod cum illis contractum non est, arg. l. 19. ff. de reb. cred. l. 1. §. 1. ff. de pact. nisi in id specialiter cives consenserint vel civitatis consilium adfuerit arg. l. 15. ff. ad SC. Maced. d. l. 27. Ipsa enim civitas accipiendo mutuum tanquam privatus obligatur Dd. ad l. 27.

V.

Haud in elegantis hinc disputationis est: An Syndicus possit ita obligare singulares personas civium, ut in defectu solutionis, ubiq; locorum apprehendi atq; arrestari queant?

A partibus affirmantium stamus, si id fiat in casu necessitatibus arg. d. l. 27. Gail. de arrest. Imperij cap. 9. O. Petr. Frid. Mind. de process. lib. 2. c. 48. n. 4.

VI.

Causa mutui formalis consistit in consensu utriusq; contrahentis (a) & in datione acceptioneq; (b)

(a) l. 32. ff. de reb. cred. (b) pr. inst. quib. mod. re contr. oblig. l. 2. §. creditum 3. l. certi 9. §. 3. l. 19. non omnis d. t. b. e. in dominij translatione, ut supr. thes. 1. lit. A. l. fin. ff. de cond. causa. Deficiente v. horum alterutro, deficit aut pendet, aut ex post facto tantum confirmatur mutuum VVes. in τω. ff. de reb. cred. Ex d. l. 19. ff. d. t. arduum profluit ζητημα; An mutuum sit, si tibi pecuniam q. donaturus dedero, tu eam q. mutuam accipias? Negamus disensus n. re circa dandi & accipiendo causam dominij translationem

impedit.

impedit. l. si ego 18. ff. d. t. vide l. cum in corpus 36. ff. de acquir. rer.
dom. Fab. 2. conject. 7.

V I I.

Causa mutui finalis est res mutuò data, quæ contrahitur propter hominis usum, qui rei mutuò datæ usu opus habet: at v. rerum, quæ mutuantur, ea est natura, ut nisi earundem dominium transferatur, usus earum esse non possit. Res n. quæ dantur mutuò, utendo absumuntur: qui a. rem utēdo absumit, atq; ut eleganter loquuntur nostri JC. abutitur, eā ipsā absumptione sive abusu dominium ei confirmatur.

Ex his producitur actio, que certi condicō vocatur l. certi 9. ff. de reb. credit. pr. inst. eod. vocatur condicōtia actio l. si quis certum 24. ff. d. t. Actio si certum petatur l. i. ff. de cond. tritic. Actio creditæ pecuniae l. scriptum 12. §. i. ff. de distr. pig. l. pen. in fin. ff. de just. & jur. Actio Calendarij l. tutores 39. §. negligētia. 14. ff. de administr. & peric. tut. Quā quamobrē actione conventus tenetur rem in eod. genere & qualitate restituere l. 3. ff. de reb. cred. Verum enim verò ut non in eadem bonitate ac valore res restituatur, ex mente contrahentium convenire posse, nullus addubito. Nam natura contractuum ex contrahentium pacticis mutari potest l. pacta conventa 72. ff. de contrah. empt. Ut v. in eadem qualitate ac bonitate mutuum restituatur, non est de ipsis mutui substantia, sed saltem naturā. arg. l. 2 ff. de reb. cred. Vult. in inst. hoc tit. Sic & illud mutui finem concernit, quod eo animo datur atq; accipitur, ut aliquādiū re creditā fruatur debitor l. in commodato 17. §. sicut 3. ff. commodati. Non n. creditor debet cum sacco, ut perhibent, venire paratus l. quod dicimus 105. ff. de solut. sed spaciū aliquod relinquendum est debitori, intra qnod re-commode utatur.

VIII.

Postremò colophonem mutuo imponit totius debiti
solutio(a)eaq; in eodem genere, eademq; bonitate ac qualitate
consistens, quantumvis hoc nominatim non sit cautum. (b)

(a) pr. quib. mod. toll. oblig. l. solutionis 54. ff. de solut. creditorn.
invitus particularem solutionem admittere nullatenus tenet. l. 41. §. i.
ff. de usur. arg. l. 25. §. 13. fam. ercis. Obstare videtur l. 21. ff. de reb.

B

cred.

cred. vide Hotm. illustr. quæst. 22. Gædd. l. 32. n. 9. de V. S. Diß. Molin. & alij à Gædd. relati. Non tamen inficiamur, quin creditori in vito ante diem ritè recteque solvatur. arg. l. pen. C. de pact. Dies enim adiçitur in favorem debitoris l. 17. & ibi Franc. Duar. de R. I. n. 9. Gædd. ad l. 12. §. 1. n. 5. de V. S. Diß. Cajac. 23. obs. 23. (b) Don. ad l. 32. de V. S. n. 9. nisi pactum intervenierit, ut pars solvatur, conventioni quandoquidem jugiter standum est. l. 41. §. 1. ff. de usur. Iul. Pac. evæntio. 3. quæst. 70.

DE DEPOSITO ET SE- QUESTRATIONE.

IX.

Depositum est contractus realis (a) bonæ fidei (b) quo res datur gratis custodienda (c) è lege, ut eadem in specie restituatur, quandocumq; libuerit deponenti: (d) eodemq; sensu appellatur commendatum. (e)

(a) § 3. inst. quib. mod. re contr. oblig. l. 1. §. 5. ff. de O. & A. l. 1. in pr. & §. est autem 22. l. 5. in fin. l. 26. §. fin. ff. depositi. Etymon ejus efflorescit ex eo, quod ponitur. Præposition. DE auget depositum ut ostendat, totum fidei ejus commissum, quod ad custodiam rei pertinet d. l. 1. in pr. l. quod servus 11. d. t. Namq; nequaquam in usu, ut commodatum, multò minus in abusu, ut mutuum consistit, sed in sola rei depositæ gratuita l. licet 17. l. 29. d. t. Depositus causam efficiem faciunt Interpp. res & consensus contrahentium §. præterea inst. quib mod. re contr. oblig. (b) §. 28. inst. de action. l. 1. §. 23. ff. depositi; & quidem magis, quam cæteri, quia totius rei custodia fidei depositarij committitur. (c) §. fin. inst. de mandat. vide l. 1. §. 8. & 9. l. 3. §. 3. ff. Naut. caup. stabul. Quod si enim rem tuam mihi custodiendam ita tradideris, ut certam aliquam mercedem pro custodia illa adhibenda mihi prestes, jam non est depositum, sed est contractus potius locationis - conductionis l. 2. §. & generaliter 23. ff. vi bonor. raptor. l. 1. §. si vestimenta 8. ff. depositi. Depositarius vero in remunerationem prestiti beneficij cūrīdōgov accipere non prohibetur d. l. 2. §. & generaliter; quod etiam merces l. si ut certo

§. §. 2.

Mo
in
nim
i. 9.
ad
en-
Pac.

quo
re-
nsu

l. i.
non
um
rti-
ut
ola
en-
st.
ff.
lei
&
o-
ia
i-
vi
e-
n
o

§. §. 2. ff. commodati, minus tamen propriè appellatur d. l. 2 §. si
jure 24. Borch. in §. præterea. Dat hinc deponens custodiendum,
depositarius recipit: unde & receptum appellatur id, quod deposi-
tum est. (d) l. si quis 11. C. de deposito; & nisi repetitæ res depositæ
reddantur, depositarius ex mora sua tenetur ad præstationem usura-
rum l. usuræ 2. C. eod. adeò vero stricte jus exigit, ut res depositæ de-
ponenti repetenti quamprimum reddantur, ut cum in ceteris contra-
ctibus compensari posse debitum unius cum debito alterius, si modò li-
quidum sit, tamen in hoc solo depositi contractu res se habet secus; ni-
mirum ob compensationem non admittat, ut maximè debitum utrin-
que sit liquidum. Vult. in inst. h. loc. Fit tamen quandoq; ut non
idem specie, sed genere restituatur, ut cum quantitas non obsignata
deponitur, nam si obsignata data sit custodienda, satis appareat depo-
nentem voluisse hoc agere, ut ipsum corpus depositum sibi redderetur
arg. l. 29. pr. ff. depositi. l. 3. C. eod. l. 7. C. de furtis, quibus dicitur
furti & depositi. l. 3. C. eod. l. 7. C. de furtis, quibus dicitur furti &
& depositi hoc casu agi posse: nec una directa perit vel consumitur al-
tera: cum actio rei persecutoria non tollat pñalem, nec contra l. 12.
C. de furt. l. 7. §. 1. de condict. furt. l. 45. ff. pro socio. Quo casu ta-
cità actum videtur, reddi debere tantundem, idq; propterea, quia res
ejus modi functionem in suo genere rccipit. l. 10. ff. de reb. credit. (e)
commendare enim nihil aliud est, quam deponere. l. 24. l. 26. ff. de-
positi l. 186. ff. de V. S. quin & promiscuè usurpantur hæc tria depo-
nere, custodiendum dare & commendare l. 6. 9. C. de depos. l. 14. §.
3. ff. de religios. de qua Cujac. 2. obs. 17. & 11. obs. 11. l. fin. ff. ad SC.
Trebell.

X.

Δυχοτομία depositi præ omnibus alijs nobis arridet,
quod videlicet depositum propriè & in specie sic dicatur (a) &
sequestratio; (b) hæc est rei litigiosæ sive controversæ à plu-
ribus; illud rei non litigiosæ ab uno.

(a) quod rursus dicitur vel consilij, quod sponte fit per se i. e. deli-

berato animo: vel necessitatis per accidens, quod fit incendio, tumultu
ruinâ, & naufragio, ubi moram res non patitur. l. 1. §. 2. & seqq. de-
pos. t.t. ff. de incend. ruin. naufr. §. in duplum 23. inst. de action. Hæc
depositi distributio in DEPOSITUM speciale & SEQUESTRATIONEM
probatur expressè per l. 5. §. 1. & 2. l. 7. in pr. l. 12. §. 2. l. pen. ff. depos.
Hanc imitantur Oldend. claf. 4. actio. 23. Vult. 1. I. R. 33. num. 2.
(b) l. 5. §. 1. l. 6. 17. §. 1. ff. depos. l. 5. ff. fam. ercisc. l. si apud te 18. ff. de
præscr. verb. l. Impp. 21. ff. de appell. Dicta à sequestro, qui est is, apud
quem eiusmodi fit depositio. 110. ff. de V. S. Sequester a. non simpliciter
à sequendo, sed quod occurrenti & q. sequenti eos, qui contendunt,
committitur Gædd. d.l. 110. n. 4. Dis. vide apud eundem. Eaq; itidem
dividitur in conventionalem, quæ fit à partibus litigantibus rem
controversam apud tertium deponentibus, eâ mente, ut possessio interim
neutri procedat, sed in sequestrum transferatur, victoriq; restituatur.
d. l. 17. licet. d. l. 5. ff. depos. l. si solutarus 39. ff. de solut. l. interesse
39. ff. de acquir. vel amitt. posses. Coras. lib. 3. miscell. c. 2. contradicente
& Costal. in d.l. 17. d.t. Et judiciale sive necessariam, quæ
fit magistratus competentis autoritate, partibus etiam invitis; cuius
extant exempla in l. SCto 16. ff. de offic. pres. l. si fidejussor 7. §. fin. ff.
qui satisd. cog. l. sed et si 11. §. pen. ff. ad exhibendum b.r. §. pen. ff. de
liber. exhib. Hæc possessionem non aufert, sed quoniam est dubia in
suspensiō relinquit, donec vel inter partes controvertentes de lite ami-
cabiliter convenerit, vel judicis sententiā, quis possessor sit & esse de-
beat, declaratum fuerit. d. l. interesse 39. Ea v. regulariter illicita
esse putatur. l. un. C. de prohib. sequest. pecun. Myns. cent. 5. obs. 35.
n. 3. Gail. de arrest. Imper. c. 1. n. 7. C. ibidem; neq; nisi in certis casi-
bus & ex justis atq; urgentibus causis permititur. 1. si metuatur rei li-
tigiosæ dilapidatio; si debitor de fugâ suspectus sit l. si cum dotem 22.
§. fin. a. 8. ff. solut. matrim. d. l. si fidejussor 7. §. fin. ff. qui satisd.
cog. l. Impp. 21. §. 3. ff. de appell. 2. si armorum periculum subsit. l.
equissimum 13. ff. de usur. 3. si deniq; quomodo cung; periculum sit in
morâ, & sequestrationem fieri necessitas postulet. Dd. in d. l. sequest.
110. Gail. 1. obs. pract. 148. Mynsing. cent. 5. obs. 35. n. 4. vide Vult. 1. I. R.
c. 33. Althus. 1. I. R. c. 30. Treul. p. 1. disp. 26. th. 8.

In



X I.

In hac depositi materia intricatus satis ac satis nodus occurrit, quem vix quisquam vel Alexandri gladio dissolvere ha-
cenus potest; An depositum in rebus quoq; immobilibus consistat?

Affirmat Gæddæus in tr. ad. l. sequester n. 2. & 3. d. V. S. & in
rubr. de sequestr. n. 9. cum seqq. i. quia deponere idem est, quod cu-
stodiendum quid alicui dare, l. in pr. ff. depos. Atqui custodia non
dunt axat est rei mobilis, verum etiam immobilis, ut patet ex l. 3. in
fin. ff. de acquir. vel amitt. posses. l. 1. §. 1. commod. l. 5. §. custodiā eod.
ubi commod. in re immobili fieri potest, in quo & ipso custodia p̄stanta
est. 2. quia sequestrari possunt res immobiles l. un. C. de prob. sequest.
pecun. Est n. pecuniae nomen generale l. 4. l. 5. ff. d. V. S. Imò non solùm in
his, verum etiam in incorporalib. sequestrum est §. ob auch ordinat.
Camer. tit. 21. pag. 2. d. Clem. unic. Idem ergo statuendum erit de
deposito vulgari, cum sint species unius generis, que eandem possunt
habere materiam, ut patet ex homine & bestia, que materie conve-
niunt. Nec enim species & genera rerum subjectis, sed formis distin-
guuntur, ut logici inculcant, &c. Hæc sunt Gæddæi; cujus que vires
sint, in ipso velitationis aëtu periclitabimur; interim tamen nos negan-
tes & à communi, uti aquiori, nostrum non subducentes assensum, ut
& gl. in l. 1. ff. pr. depositi. ibi Bart. Bald. Sneid. Mynsing. & VVes.
in §. præterea 3. inst. lit. Vult. in inst. b. loc. & I. R. lib. 1. c. 33. in
fin. Treutl. disp. 26. 4. lit. D. p. 1.

X II.

Non immerito quis ambigat, an depositarius depositum possit ante tempus illud reddere?

Affirmamus edicti arg. l. 5. §. 2. ff. depos. VVes. in w. eod. n. 7.
quia in re omnino restituenda, in servanda non æquè intricatus su-
spensus hæret depositarius. vide Gostal. ad l. si quis affirmaverit 9. §.
Labeo 3. ff. de dol. mal. & ad l. licet 17. ff. depos. Præstat tamen do-
lum latamq; culpam l. contractus 23. de R. I. l. 5. §. 2. ff. commodati
l. quod Nerva 32. ff. depos. nisi forte summam in se receperit diligen-
tiam l. 1. §. 6. 10. 35. ff. d. t. arg. l. 1. C. eod. vel honorarium acce-
pit depositi nomine, eo ipso ad exactam diligentiam, atq; ita levius

culpæ præstationem sese obligat l. 5. §. 2. vers. uisi fortè ff. commod. l. 2. §. 20. ff. vi bonor. rapt. Vel si depositarius utatur re depositâ, furtum committit §. furtum 6. inst. de oblig. quæ ex delic. nasc. l. si saccum 29. in pr. ff. depos. Quorum si nihil intervenerit & sine dolo malo, vel latâ culpâ depositarius rem amiserit, securus est, §. sed si apud quem 17. inst. de oblig. quæ ex delic. nasc. l. 1. §. 5. de O. & A. sicut nec de casu fortuito tenetur l. si plures 14. §. 1. ff. depos. d. l. 23. de Reg. Iur. Deponentis enim gratiâ fit depositum l. 5. §. 2. ff. commod. neq; depositarius rei depositæ dominium nanciscitur d. l. 17. §. fin. ff. depos. Constat idcirco rem domino perire, si casu fortuito interierit.

XIII.

Continuò num quis teneatur ex re furto vel alio casu ablata, si sola adfuerit patientia, scientiavé rei in domum illatæ?

Fovemus negantium curiositatem, ut & Mozz. vult. hic c. quomodo annulletur depos. n. 9. & seq. quod ita enotando accipitur, si nihil quidem à parte deponentis dictum sit: nam aliâs nihil interest, an depositarij voluntate in domum ejus inferatur, an ei tradatur Castr. Fulg. in l. 1. ff. depos. Verius tamen est in nautis, cauponibus atq; stabularijs ut ex sola teneantur patientiâ l. 1. §. fin. ff. Naut. caup. stabul. & ibidem V Vesem. Parat. n. 5. Attamen si exercitores prædixerint, nolle se teneri, & hospites vectoresvè consenserint prædictioni, ipsi sibi damnum imputabunt l. 7. in fin. pr. ff. depos. Non verò liberatur caupo à custodia, si hospiti clavem Cameræ dederit, ut not. gl. & Bart. in d. l. 7. Bald. in rubr. depos.

XV.

Difficilis ac valdè clara dependet quæstio, nec ejus decisio ita in proclivi est, ac imber quando pluit; Utrum rei depositæ possessio in sequestrum transeat?

Inficiamur, nisi sequestratio eâ lege ac mente facta fuerit, ut ipsa rei litigiosæ possesso dimittatur, & in sequestrum transferatur, aliâs custodiam rei solummodo ei commissam videri. & ut evidenter dicamus; si depositio ista dimittendæ possessionis ergo facta

est,

est, tunc sequester possidet; si simpliciter præter dimittendæ possessio-
nis mentionem, non utiq̄: tunc enim verius est, sequestrum non possi-
dere, sed deponentes per sequestrum, ut distinguit perspicue Julianus
in l. interesse 39. ff. de acquir. vel amitt. posses. & ibi Cujac. & Du-
ar. ad tit. depos. c. 1. fol. 1006. Idem non diversum docet Florenti-
tinus in l. licet 17. §. 1. ff. depos. Etenim ait, quod tum demum se-
quester possideat, si possessio ad ipsum est deposita & dimissa, quod
ipse textus coherentia probat, & luculenter ostendit Ictus, quando
inquit: id enim agitur ea definitione (possessionis scilicet simul cum
custodia) ut neutrīus possessioni id tempus procedat. Dis. Azo in sum.
de prohib. sequestr. pecun. Cujac. in Parat. C. d. t. c. 9. obs. c. 33.

Coronidis loco has

Ζητήσεις παρεχώς adiicimus.

1. Concertant Interpp. an lite etiamnum pendente, parti
sequestrationem patienti, sumptus ad litem & necessaria ali-
menta ex fructibus rei sequestratæ porrigenda sint, nec ne? Et
suppeditanda esse, modò aliunde non habeat, adserimus.

2. Utrum sit mutuum, an alitus contractus, cum tibi pe-
tentí pecuniam mutuarem, nec haberem in numerato, dedi-
tibi massam auri vel lancem, aut aliam quamlibet speciem, ut
venderes, & nummis ex venditione redactis utereris? Af-
firm.

3. An prodigus obligetur ex juramento? Negam.

4. Num pecuniam mutuò acceptam debitor teneatur
reddere in eodem monetæ genere? Et si monetæ valor in-
trinsicus interim sit mutatus, isné qui fuit tempore contra-
ctus, an qui solutionis usitatus est, inspici debeat? In priori
casu distinguimus, in posteriori simpliciter sive mutatio in-
trinsicæ, sive extrinsicæ bonitate contigerit, contractus
tempus inspiciendum esse placet.

5. Si quis

5. Si quis chirographo se debere confessus fuerit, quod si-
bi numeratum non est, ipso quidem tenetur jure, sed non nu-
meratæ pecuniæ exceptione intra biennium opponenda de-
fendetur; Quæritur: an post biennium probare volenti ex-
ceptio hæc competat? à communi affirmativa minimè disce-
endum putamus.

6. Utrum sanguis erumpens ex vulnere imperfecti, præ-
fente occisore, judicem sufficienter instruat, ut accusatum ho-
micij condemnare possit; aut saltem contra eum procedere
ad torturam? Utrunq; Negam:

7. An cadavera suspensorum Medicis ad anatomen con-
cedantur? Affirm:

8. An puella, quæ furem aut reuin mortis in maritum
sibi petit à pæna ipsum liberet. Negam:

9. Dubitatur quandoq; de his, qui vulgo exponuntur: &
à quibusdam **J E C T A T E L I** appellantur: sint nè hi legitimi,
an nothi potius & spurij judicandi? priùs affirmam:

10. An tantus ordinis nostri literarij favor existat, ut arti-
fices ferrarij, lignarij, atq; id genus alij, in viciniâ Themidi
sacrâ habitare expertentes, strepituq; suo studia impedientes,
officio judicis repellî possint? jugiter affirm:

11. An Advocatus sovens justam causam possit decipere
adversarium ad obtinendam causam? exercitij gratia defen-
demus.

F I N I S.

X2617642

b017

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

er maximo.

llentissimoq; Viro

NICO ARV.

V. DOCT.

imae Juridicæ Facultatis

s i s

s Iuridicas

O, DE-
ET SE-
one,

ULTORUM defen-
ibet

AGEN GEYSA-
ho.

Aprilis.

consuetis.

in disputando versatur.

tarum,

Christophori
I.D.C. III.